

S.

Qua in conferendo Thucydide tuo cum veteri Augustano deprehendit
 Hoefschelium, nupor accipi. Ea nunc ad te mitto cum eiusdem ad te
 litteris. Qua in re cum diligentiam et fidem ab eo adhibitam esse mi-
 hil plane dubium, non dubito etiam quin et tibi gratus, et resp. uti-
 lit is labor sit futurus. Tuum namque erit et hoc et quae ex Gallis
 accipiet, primo quoque tempore in publicum emittere. Ut autem ad alia
 quoque communicanda et Hoefschelium et alios magis ac magis allicias,
 velim primo resp. publica Augustana in hoc genere benignitatem, tum Hoe-
 schelii diligentiam ac studium praedicet. ipse namque aliquoties sum exper-
 tus quantum hoc beneficii commemoratio ad alia contribuenda pellicias.
 Quia vero pene totius semestris horas successivas ei collationi Hoefschelium
 impendit, rogo ut praeter hoc etiam quodammodo cum remunereris. Signifi-
 canis mihi se sibi pro labore isto cupere Thesaurum linguae Graecae cum Glossa-
riis; puero autem, quo lectore usus est, alium quempiam librum utilem. qua
 de re fortassis ipse quoque ad te peruenisset. Tu quaeso des operam ut nec illum
 laboris, nec me conciationis huius pigeat. De Indicibus meminisse te ve-
 lim quae saepe monui, ut copiosiores illos in posterum facias, neque propriorum nomi-
 num et antiquitatum quidem in illis omittas. mirum enim quantum ea res tum
 ad illos ipsos auctores tum ad alios vel emendandos vel illustrandos confers.
 ἀλλὰ πάλιν ἵππων ἐπέεσσι ἢ ἂν Ἀθλων. Quod reliquum est valece te ac pre-
 me rem gerere opto. Amicis plurimam ex me salutem dici cupio, nominatim
 D. Bezae, tum filio tuo ac genero. Francaf. 16 Junij 1588

Tuas cum meis ad Leonclaium misi:
 sed nihil ad hoc respondit.

T. Fridericus Sylburgius.

A
messieurs Henri Esbène,
maître imprimeur & mer-
chant libraire à

Sylvestre.

Genève.